

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Potestate Imperatoris Ordinandi Regimen Bonorum Eccl. Imp. Immedd.

Geisler, Carl Heinrich

Goettingae, 1783

§. VI. Denique historia praeteriti temporis

urn:nbn:de:bsz:31-95043

instinctu adeo Episcoporum ipsorum vocantur. Illo solo quippe loco nescio, an euidentius probari possint, quae dixi. Sed plura adhuc in hoc argumentum facile conferri poterunt ex MATTHAEO *), MVRATORIO **) aliisque, qui de hoc aduocatae genere data opera et ex instituto scripserunt, pertinetque hoc omnino ad reliquias iuris illius patronatus, quod Reges quondam nostri habuerunt in ecclesiis et cum iure aduocatae coniunctum fuisse BOEHMERVS ille noster ***) docuit.

§. VI.

Denique historia praeteriti temporis.

Itaque non modo situs, sed origo et destinatio bonorum illorum ac peculiaris illa aduocata, in qua constituta sunt, ius Imperatoris fat confirmant. Verum ne quid omittam, ex quo caussa plene instrui possit, comprobant id etiam historiae praeteriti temporis. Quod vt paucis ostendam, non redibo ad antiquissimam aetatem, de qua Capitularibus inprimis res extra dubitationem ponitur, nec morabor etiam magnopere in Abbatibus, quamquam de his quoque multa habeam potestatis caesareae exempla, inprimisque adeo, vt cetera omnia potissimum ad causas singulares pertinentia omittam, celebratissima illa Guilelmi Regis constitutione ****) planum id facere possim. Sed hoc loco iuuabit, opinor, mentionem inprimis iniicere *regalis sacerdotii*

*) de Nobil. p. 498. sqq.

**) in Antiqu. Ital. To. V. diff. 63.

***) in Obseru. iur. can. p. 184.

****) ap. SENKENBERGIUM in C. I. F. p. 565. aliosque.

*dotii, adeo illius tum praeterito tempore peruulgati fama et sermone hominum, tum ne nostra quidem aetate prorsus oblitte-
rati, sed saepenumero a Principibus maxime apud Bauaros *) in
partes vocati. Adeo quippe Reges sibi quondam nostri hac bono-
rum ecclesiasticorum praefectura placebant, vt, quod etiam alias
ob causas non est negligendum, Episcopos inprimis nemini, nisi
sibi, subesse posse statuerent, aegreque admodum ac rarissime
aliis quidquam in eos iuris concederent. His etiam ea res ad
dignitatem ordinis tantum visa facere, vt, si quis forte Princi-
pum id iuris vsurparet, hoc molestissime ferrent, ac regale, non
ducale sacerdotium esse clamitarent. Volupe, arbitror, fuerit
audire hanc in rem DITMARVM scribentem quodam loco **):
*Henrici Regis tempore fuit in Bauaria quidam Dux Arnulfus nomine,
qui omnes episcopatus in his partibus constitutos sua distribuere manu
singularem habuit potestatem, sed cum hic vitam hanc finisset, succes-
sorum suorum nulli tantum reliquit, quin potius Reges nostri et Impe-
ratores summi Rectoris vice in hac peregrinatione praepositi hoc soli
ordinant, meritoque prae ceteris pastoribus suis praesunt, quia incon-
gruum nimis est, vt hi, quos Christus sui memores huius terrae princi-
pes constituit, sub aliquo sint dominio absque eorum, qui exemplo
Domini benedictionis et coronae gloria mortales cunctos praecellunt.
Audiui tamen nonnullos sub Ducum et quod plus doleo, sub Comitum
potestate magnam sustinere calumniam, quibus nil licitum est, nisi quod**

B 2

scili-

*) V. BERGMANNVS de
iure regio Ducum Boioariae (Mo-
nach. 1754.) § 14. et CRAMERVS
in Hor. Subf. P. XLVII. p. 74. ac.

P. L. p. I. sqq. ne WISSIVM alia-
que scripta eristica commemorem.

***) Lib. I. p. 329. ap. LEIBNI-
TIUM To. I. Scr. Brunfu.

scilicet amatoribus seculi prodest. Et quibusnam tandem cum molestiis hanc ob causam *) non luctandum fuit Henrico Leoni, donec vel in Slauia hoc impetrare poterat? Potitus quidem ad extremum propriis eam in rem Friderici I. codicillis **) , et quemadmodum exemplis et auctoritatibus ab ECKHARDO ***) imprimis (GERINGERI enim cuiusdam de *regali Henrici L. in Episcopos* libellum nondum consecutus sum) studiose collectis intelligitur, iure suo strenue usus est. At adeo tamen vulnus imis haeserat medullis, ut haut ita multo post conuersis eius rebus non modo Isfridus, Episcopus Raceburgensis, BernharDO Duci idem usurpaturo, auctore ARNOLDO LVBECE NSI ****), plane refragaretur, sed vniuersi quoque Alberto postulata repetente tum An. c10cc l11. Ordinibus ea de re per litteras *****) referrent, quasi *sub eo non dici posset regale sacerdotium, sed ducale*, tum etiam, quae est simillima vero GRVBERI *****) ac SCHEIDII *****) laudatissimorum virorum, opinio, comminiscerentur et confingerent litteras *****), quibus Henricum ad vnum vitae tempus eximio illo iure potitum esse docerent. Nemo dixerit, quaeeso, haec inutiliter effundi et alieno loco. Nam cum adeo quondam Episcopatus inprimis ad personam Imperatoris applicati crederentur, ut, quod exemplis illis contra magni WESTFALII *****) hac in re haeresin explanatum esse arbitror, eorum in uesti-

*) V. HELMOLDVS I, 69, 8.

**) To. III. ORIGG. GVELFF.

p. 470.

***) de auctoritate Henrici L. circa sacra (Guelferb. 1732. 4.) p. 43. sqq.

****) in Chr. Slau. II, 21, 3.

ap. Leibnitium To, II. p. 641.

*****) To. IV. Origg. p. 248.

*****) ibid. p. 74.

*****) in Praef. To. III. p. 41. sqq.

*****) ap. LVDEWIGIVM in Reliqu. To. VI. p. 231.

*****) To. II, Mon, Cimbr. p. 2022, sqq.

uestiturae proprie ab eo solo fieri possent: ego quidem plane non intelligo, qua demum ratione de potestate eius ordinandi regimen bonorum ecclesiasticorum ambigi queat, sed ipsa adeo transactione Calixtina eam confirmari existimo. Quid enim controuersis, quae de inuestituris episcopalibus inter Imperatorem ac Pontificem transactione illa compositae fuerunt, suberat tandem, nisi, quod epistolae Hildebrandinae *) cum famosis illis *dictatibus* et decretis plane loquuntur, ac post alios, qui eas tractarunt, nec satis tamen recte semper ad vniuersam Episcoporum constitutionem retulerunt, nuper inprimis eleganter vidit SCHMIDTIVS **), potissimum principatus bonorum ecclesiasticorum, quem vterque litigantium sibi vindicaret? Quod si igitur transactione illa vicit tandem causa imperii et cum inuestituris principatus bonorum contra Pontificem obtentus fuit, vt negari nullo modo potest, necessario etiam seruatum fuit hoc, vt, quod ex ipsa imperii ciuilibus notione consequens est, ac fortiter quoque et animose omni tempore ab Imperatoribus defensum fuit, iis liceat cauere, ne dilapidentur, adeoque etiam praescribere normas, ad quas regantur. Incredibile quidem prorsus, quod immensis propemodum viribus ac studiis Pontificibus tandem euicissent, idem eos mutato quasi consilio spretaque imperii causa postea tamquam inane ac nihil abiicisse, aut reliquisse iis, qui sibi antea litem numquam de subiectione mouissent, imo vero se suaque omnia in iure eorum esse pertinaciter contendissent, et qui locus in hac causa inprimis est memorabilis, apud ARNOLDVM LVB. ***) communi suffragio *temporalia ab iis se possidere faterentur.*

B 3

§. VII.

*) ap. LABBEVM in Conciliis P. X, inprimis lib. II. et sequentibus

**) in Hist. Germ. To. II. p. 268. 467.

***) III, 18, 6.